Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 979
Quelle:
Copyright:

mox *cit. col.* non 327. sed 527. cum *Praefatiuncula,* quam non habet Codex, qui miniatis distinctionibus gaudet.

VII. *fol.* 82. *De cantico Ezechie regis. Ego dixi in dimidio dierum meorum.* Initium: *Uiri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos perseuerantes in sua uetustate* &c. Est sermo *Bernhardi III. de Diversis* T. III. *cit. col.* 1090.

VIII. *fol.* 85. p. 2. *De David et Golya quinque panibus Sermo de temperantia.* Initium: *Audiuimus ex libro regum golyam uirum procere stature presumentem* &c. T. III. *cit. col.* 936. *Dom. IV. post Pentec.* Sed nutat hic *Sermo* inter *Bernhardum* et *Nicolaum Claraevall.*

IX. *fol.* 87. *Item ex psalmo afferte domino. Expositionis Bernhardi abbatis.* Initium: *Afferte domino filij dei* &c. *Uobis dicitur nouitij. attendite nouitij. attendite si cupitis esse filij dei* &c. Vides Expositionem hanc, quae tota mystica est, adscribi *Bernhardo*; nihilque opinione mea repugnat. Interim illam in Editione saepe *cit.* non reperio. Procedit illa στιχηρῶς usque ad hujus *Psalmi* XXVIII. *v.* 10. atque ita exit: *uocem reuelationem ueritatis. sermonem aspirationem uoluntatis.* Unde mutilatam putem. Integra fortassis alibi gentium in Codicibus *Bernhardinis* delitescit.

X. *fol.* 102. *Incipit prologus ad fratres de monte dei.* Novimus *Epistolam* sive *Librum* ad *Haimonem* Priorem et Fratres Carthusiae *Montis Dei* in Dioec. *Rhem.* in variis Codicibus *Bernhardo* tributum, sed rite vindicatum *Wilhelmo*, quem contra Codices Exteri *Guilelmum* scribere malunt, Abbati *S. Theodorici.* Extat is Edit. *suprac. Vol.* II. T. V. *col.* 199. Verum nulla ibi mentio *Prologi* nostri, qui tam *Wilhelmo*, quam *Bernhardo* indignus incipit: *Misericors et miserator dominus de uia plena miserie et sine misericordia. miserabilis misericors miserationis uirga uel certe uirga ferrea sepius educit* &c. nihilque ad rem pertinet. Eo absoluto sequitur: *Karissimis fratribus H. priori et W. Sabbatum dedicatum. Pene imprudenter et plusquam decet* &c. Edita legunt: *H. Priori et ceteris W. Sabbatum delicatum. Pene impudenter et plusquam decebat* &c. Ubi vides, τὸ *et W.* si in pluribus occurrit Codicibus, caussam praebere potuisse Libri a *Wilhelmo* ad *Bernhardum* transferendi, dein *Sabbatum dedicatum* fortasse praeoptandum *delicato*, idque eo etiam, quod Autor non multo post verbis *dedicare* et *dedicandum* utatur. Finit haec nostra Praefatio cum verbis: *donec ipso lucis amore assuescant;* ut Editiones ceterae, neque habet, quod *Mauriana* deinceps adtexit. Ceterum integra est Tractatio.

XI. *fol.* 132. *Incipit Epistola Bernhardi abbatis Clareuallensis ad almaricum* (Aimericum, Haimericum) *cardinalem et Cancellarium de dilectione dei.* Initium: *Oraciones a me et non questiones poscere soleba-*